

ΕΥΝΘΕΩ.

FAS, sibi cuncta virum promittere numine
dextro,
Omnia fas sperare; Dei quia subditur omnis

Imperio natura, nec est obnoxia legi,
Nec certo prescripta modo, sine lege potestas.
Nil desperandum nutu aspirante potenti,
Qui freta, qui terras, qui magnum torquet Olympum:
Nil desperandum Christo duce, & auspice Christo.

Annuat ille, rotas sistet Sol: annuat idem,
Lapsus unda suos medio frenabit in amni,
Et conuertet iter cursu reditura supino.

Annuat, aduerso Boreas insurget ab axe,
Et sua cum phocis mutabunt prata iuueni,
Et pontum volucres tranabunt, aëra pisces,
Et pacem iungent ursi, & genus acre leones.

Ille coire iubet discordia seminare rerum,
Et sociare uno concordem in corpore nexum,
Frigida ne pugnent calidis, humectaq; siccis,
Mollia neu duris decertent, tenuia crassis.
Ille mari, toto diuisaq; corpora caelo